



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Qvintvm. Ex decreto Iuonis Carnotensis, libro primo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

I.

sistere volumus, ut nullus audeat irritum facere hoc quod constitutum est, si in perpetua damnatione noluerit persistere. Si quis vero contra hanc regulam nostram, & contra sanctorum trecentorum decem & octo patrum, qui in Niceno Concilio hoc constituerunt, temerarius presumptor fuerit, & ultius oblationes de sacris ecclesiis auferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus & condemnatus. Responderunt omnes, Fiat, fiat.

Q V A R T V M.

*In Spiritum sanctum blasphemant, qui sacros
Canones violent.*

Violatores Canonum voluntarie, grauiter a sanctis patribus iudicantur, & a sancto Spiritu, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur: quoniam blasphemare in Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros Canones, non necessitate compulsi, sed libenter (vt præmissum est) aliquid aut proterue agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio, manifeste unum genus est blasphemantium in Spiritum sanctum: quia (vt iam prælibatum est) contra eum agit, cuius nutu & gratia sancti Canones editi sunt.

Q V I N T V M.

Ex decreto Iuonis Carnotensis, libro primo.

Quoniam quidam metropolitanorum, fidem suam secundum priscam confuetudinem sanctæ sedi apostolicæ exponere detrectantes, usum pallii neque expetunt, nec percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio, viduatis ecclesiis, non sine periculo protelatur: placuit, ut quisquis metropolitanus infra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum, ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate: sitque licentia metropolitanis aliis, post secundam & tertiam commonitionem, viduatis ecclesiis, cum consilio Romani pontificis, ordinando epi-

Concil. Tom. 3.

Pp

297. quæst. 1.
Violatores.

298 DAMASVS CONCILIVM VALENTINIANVS^S VALENS^S IMP.

scopos, subuenire. Si vero consecrandi episcopi negligentia prouenerit, ut ultra tres menses ecclesia viduata consistat, communione priuetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum praebere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam ecclesiam, neque ibi, neque alicubi consecrationis donum percipiat, imo metropolitani sui iudicio cedat.

CONCILIVM ROMANVM I
S V B D A M A S O,

In quo Vrsacius & Valens Ariani damnati.

N O T A.

Acta Con- * *Concilium Romanum.*] In hac Synodo, Romæ sub Damasi pontificatus initio celebrata, Valens, Vrsacius, ceterique manifesto Ariani damnati, totique orbi terrarum per literas pontificis denuntiati fuerunt. Ita enim scribit Athanasius ad episcopos Africanos: *Sufficiunt quidem scripta Damasi comministri nostri dilecti, & magna Roma episcopi, ceterorumque tot numero ibi congregatorum, &c.* Et paulo infra: *Gratiam habemus & illius (Damasi) pietati, & ceteris, qui Roma conuenerunt, quod Vrsacio & Valente cum sociis suis eiusdem sententia electis, concordiam ecclesia conferuarint.* Hanc vero Synodus ante damnationem Auxentii Romæ coactam fuisse, ex verbis eiusdem Athanasii praecedentibus manifeste patet: nam predicta epistola de Auxentio multa locutus, scriptis se mirari, cur studio & opera Damasi pontificis, cui de Auxentii hæresibus plura scripsisset, hæresiarcha nondum ex ecclesia electus & depositus fuit. Illo igitur tempore, quo Athanasius pontificem de Auxentio condemnando per literas admonuerat, hanc in causa Vrsacii, Valentis, aliorumque Arianorum coactam fuisse, ex praecedentibus patet.

Tempus
Concili.